tinet comode consumari. Et ecce quod nos attendentes per venerabilem fratrem nostrum B. Ostien. Episcopum apostolice sedis legatum cui Rectoriam et regimen dicte marchie commisimus premissa posse melius et solemnius in illis partibus actore domino adimpleri eidem se ad dictam marchiam personaliter conferenti super expediendis et consummandis hiis que super predictis agenda sunt plenariam per nostras concedimus litteras potestatem. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attente quatinus sicut inter alios uno super omnibus qui dudum rebelles sunt promptior et devotior adte ac ipsos reducendos ad nostram et ecclesie devotionem et obedientiam extitisti et existere sicut letanter audivimus non desistis et sic solicitudinis tue in hac parte cum devotione sinceritas studium non tepescat procurando per te et alios negocia huiusmodi effectualiter expediri prefato legato per hoc efficaciter et assistendo super predictis et aliis consiliis et auxiliis oportunis ut sine laudabili principio et medio supertius operibus huiusmodi respondente tu preter mercedis perennis premium quod inde mereberis nos et Romanam ecclesiam ad ea que tuum conveniunt honorem et commodum merito repias promptiores. Datum Idus Augusti anno xvi. Communi Terre Firman.

1756 Attendentes quod per insufficientiam sindicatuum per nos et alios nobiles super ratificatione eorum que coram nobis et fratribus nostris acta per nostros procuratores et sindicos fuerant hic non potuerunt negocia huiusmodi que ad vos et nos stabiliter ordinari et considerantes attente quod per venerabilem fratrem nostrum Berardum Episcopum Ostien. apostolice sedis legatum cui Rectoriam et regimen marchie commisimus premissa poterunt melius et utilius in eisdem partibus expediri prefato legato plenariam super hiis concedimus per alias nostras litteras potestatem. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attentius quatinus eidem legato cum nos sub obedientia nostra et ecclesie persistentes benigne tractabit et favorabiliter pertractabit efficaciter et assistatis consiliis auxiliis et favoribus oportunis Ita quod predictis consummatis negotiis pacis et quietis ubertate fruamini ac nos et sedes apostolica in vestris oportunitatibus reperire gratiosos et benivolos continue valeatis. Datum ut supra.

In eundem modum Communi Terre Fabrian.
In eundem modum Communi Terre Mathalice.
In eundem modum Communi Terre Sancti Elpidii.
In eundem modum Communi Terre Serravallis.
In eundem modum Communi Terre Sancti Sanctie.
In eundem modum Communi Terre Barbare.
In eundem modum Communi Terre Auximan.
In eundem modum Communi Terre Urbinat.
In eundem modum Communi Terre Esin.
Datum ut supra. Rectori Marchie.

1755 Nuper accepimus admirantes quod aliqui morantes in Romana Curia qui Marchianorum vestrorum pacem et quietem odiunt ac turbationes velut ministri Sathane querunt et odia quibusdam in eis partibus scribere presumpserunt quod nos ad pacem provincie vestre Marchie minime intendere volebamus profecto te scire volumus quod cum talia scribunt suum perversum pandunt desiderium in hac parte nos autem taliter facere dante domino intendimus quod ab illis quibus scribunt et aliis sapientibus proditores et mendaces merito poterunt reputari. Datum xvi kal. Martii anno sextodecimo. Rectori Marchie.

1757 Cum nonnulle Civitates et terre Marchie Anconitane cuius Rector existis certos suos ambaxiatores disponant sicut accepimus ad nostram presentiam quorum utilis vel necessaria non occurrat presentialiter super hac materia destinare volumus et te ipsis modo quo expedire cognoveris suadere ut quantum ad presens sint parcentes sumptibus et laboribus a missione predicta desistant sed tu nobis seriose conscribas que petere intendunt a nobis quidque tibi super hiis expediens videatur. Datum xvii kal. Januarii anno xvi.